



21
PRINCIPIA
IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE
GERMANICAE FVNDAMENTALIA,
SPECIMEN TERTIVM.

QVO PRAEMISSO

1766, 2.
PRAELECTIONES
ACADEMICAS

PER INSTANS SEMESTRE
HIBERNVM

348
ROSTOCHII INSTITVENDAS

INDICIT

IOHANNES CHRISTIANVS
QVISTORPIVS

IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

PRINCIPIA

INSTITUTIONAL ECCLESIASTICAL

GERMANIAE LYNDAVENTALIA

SPECIMEN TERTIUM

MDCCCXXXV

PRAEFATIONES

ACADEMICAS

PER INSTANS SEMESTRE

PERIODE

ROSTOCHII INSTITUTIONAS

INDEX

IOHANNES CHRISTIANUS

QUISTORPUS

INSTITUTIONAL ECCLESIASTICAL



ROSTOCHII

ADRIANUS

Handwritten initials or mark.





SECTIO VI.

DE

NEXV RELIGIONIS EVANGELICAE ET CA-
THOLICAE, SEV IVRIBVS COMMVNIBVS,

QVAE

RESPECTV VTRIVSQVE RELIGIONIS IN GERMA-
NIA PER PACEM RELIGIOSAM ET WEST-
PHALICAM STABILITA SVNT.

§. I.



De tribus religionibus in Germania approbatis, scilicet Catholica, Lutherana & Reformata, quarum quaelibet ex symbolis, quibus subscribit, dignoscitur, dicitur, quod quid vni justum, alteri injustum esse nequeat. † Habentur ciuilliter orthodoxae, gaudent pace ciuili perpetua, fruuntur religionis libertate & conscientiae omnimoda & generatim exacta aequalitate per *Art. V. §. 48. I. P. W.* Inde etiam Imperator, licet sacris Romano-Catholicis addictus sit, non solum Romanae, sed & Protestantium ecclesiae aequali ratione protectionem praestare debet, quod speciatim Imperator in *Capitulatione* sua promittit. *vid. MÜLDENER de Protectione ab Imperatore ecclesiae vtriusque Religionis debita.*

A 2

perio



perio aequale competit jus circa sacra in addictos religioni Catholicae et Pontificiae. In hos modo sibi sumere potest eam potestatem, quam ex principiis suae religionis principi ecclesiastico tribuunt. †† *vid. ill. MOSER in Teutschen Staats Recht P. 3. Lib. 2. Cap. 28. § 2. in fine.* Dictae tres religiones vnice in Imperio Romano-Germanico censentur adprobatae, ita, vt nulla alia in Imperio Sacro-Romano supra tres nominatas recipiatur, vel toleretur per I. P. O. Art. V. §. 3.

† Religiones in Germania approbatae potissimum iudicantur ex confessionibus & formulis fidei, adeoque, quamdiu his instituitur, minime asserendum est, nouam religionem introduci, vti in particularibus quibusdam ecclesiis in ritibus diuersitas deprehendatur, quos princeps territorii reformare nullo iure prohibetur, quatenus instrumento pacis non repugnant. Hic casus autem adest, si princeps abrogare veller ritus & ceremonias, quas libri symbolici praescribunt. Cum enim hi per instrumenta generatim confirmati sint per loca in *Spho jam citata*, contrarium iis statui nequit. Proinde etiam durum foret, subditos sub praetextu religionis expellere, vbi subditi formulam fidei Augustanam adhuc amplectuntur, licet in aliis, quae ibi haud definita sunt, vel articulis fidei non accensentur, dissentiant. Si autem controuersiae circa formulas receptas oriuntur, principi territorii competit facultas, litem abolendi & litigantibus silentium imponendi, si nempe res id postulat & amiceabiliter componi nequit. *vid. Sect. III. §. 5.*

†† Sub religione, vi pacis Religiosae & Westphalicae libere & quiete exercenda, intelligi nequit alia, quam quae eidem conformis est, adeoque vel Pontificia, vel Lutherana, vel Reformata, in oppositione ad se inuicem. *per Art. VII. §. 2. I. P. O.* Sed vera statuit celeberr. G. L. BOEHMER in *Principiis Iuris Canonici Part. Gen. §. 45. n. c.* differre recipere & tolerare religionem. Illud fit, concesso Religionis exercitio publico & privato, tolerare autem personas Religioni addictas, fit sine exercitio Religionis publico vel priuato, sed tantum regulariter permissa censetur deuotio domestica. Non quoque in *Instrumento Pacis*



Pacis de personis, peregrinis sacris addictis, disponitur, quas princeps absque religionis exercitio publico in territorio suo tollerare non prohibetur, sed peregrinae religiones exesse jubentur, ne publico cultu exercentur & incommodo sint ecclesiis in Germania receptis.

§. 2.

Nemini quoque, religionis adprobatae intuitu & pro ea deferenda, vis, metus, laesiones vel alia incommoda sunt inferenda per *Pac. Relig. de a. 1555. §. 15. 16. 23. & Instr. Pac. Osm. Art. V. §. 48.* Nec adhibenda persuasio fraudulenta de religione mutanda. Sic enim disponit *Recessus Imperii de A. 1555. §. 23. dasz kein Stand des Reichs den andern, noch desselben Vnterthanen zu seiner Religion dringen vnd abpraetisiren, oder wieder ihro Obrigkeit in Schutz, vnd Schirmnehmen, no h auf einigerley Weisa vertheidigen solle.* Nec alterutri religioni addictis aliquid est injungendum vel imperandum confessioni suae vel consuetudini repugnans per *I. P. O. Art. V. §. 48.* Salua tamen exceptione, dicto loco, respectu personarum ecclesiasticarum facta. Nemo ob religionem in Imperio Romano-Germanico approbatam despiciatui erit habendus, neutri nota haereseos cum effectibus inde dependentibus inurenda, multo minus ab opificum aliorumque collegiis vel ab hereditaribus, legatis, commerciis aliisque juribus, veluti coemeteriis, honore sepulturae etc. arcendus per *I. P. O. Art. V. §. 35.* In casu dissidiorum circa religionem ortorum, sola amicabile compositio locum debet habere, omnis autem prohibita manet violentia, via facti vel turbatio in iisdem adhibita per *I. P. O. Art. V. §. 14. 25. 31. 52.*

§. 3.

Inuitu Statuum I. R. G. diuersae quidem, non vero probatae religioni addictorum, praeterea cautum: quod in causis religionis omnibusque aliis negotiis, vbi status tanquam vnum corpus considerari nequeunt, vt & Catholicis & angustanae confessionis statibus in duas partes euntibus sola amicabile compositio lites dirimat, non attentata pluralitate vororum.

A 3

Nam



Nam in causis, diuersae religioni receptae addictos spectantibus, Protestantium vota, licet numero minora, si conjuncta adfunt, eundem valorem habent cum reliquis, vid. *MVLDER de Protectione ab Imperatore ecclesiae vtriusque religionis debita*. Idem etiam obtinet in mixtis ciuitatibus, in quibus vtra religio praedominatur. Res decisa est in *I. P. O. Art. V. §. 9. v. Pluralitas votorum in causis religionem suae directe, siue indirecte concernentibus nequaquam attenditur, neque illa augustanae confessioni ad dictis ciuibus ejus loci magis, quam augustanae confessionis electoribus, principibus & Statibus in Imperio Romano praedjudicet*. Quod vero pluralitatem votorum in materia collectandi atinet, cum res in congressu decidi non potuerit, ad proxima Comitia fuit remissa per *I. P. O. Art. V. §. 52*. In aliis vtriusque religionis litibus, consortes numero pares ex vtraque confessione ad cognitionem adhibendi sunt & sic quoque in deputationibus imperii & extraordinariis commissionibus, ratio vtriusque religionis habenda est per *I. P. O. Art. V. §. 53*. Prouti in omnibus Imperii negotiis ad vtriusque religionis fauorem respiciendum est, sic in *Art. V. §. 53*. ordinatum, quod pares numero vtriusque religionis assessores, tam ad Iudicium Camerae †, quam aulicum †† praesentandi sunt, vt eueniente inter diuersae religionis consortes litium ortarum casu, paritas iudicantium ex vtraque religione Assessorum, possit obseruari, ne scilicet ex indiscreto religionis zelo, majora contra juris rationem fieri queant. Idem etiam quoad paritatem Assessorum obseruandum, quoties immediatus augustanae Confessioni additus status a mediato Catholico, vel immediatus Catholicus a proficiente augustanam confessionem statu mediato in jus vocandus est.

† Respectu camerae Imperialis inaequalitas ideo haud facile metuenda, quae in hoc illustrissimo iudicio Assessores ab imperii circulis praesentantur, qui vel pure catholicos, vel pure evangelicos, vel etiam mixtos nuncupant. Praesentantium et praesentandorum subiecta, talia, qualia praedictarum circuli admittit, esse debere docet. *KRESS de jure praesentandi assessores Camerae cap. 2. vid. etiam I. P. O. Art. V. §. 30.*

†† In



†† In iudicio quidem aulico facta occurrit paritas. Ita, si in imperii negotiis, Evangelici, licet numero pauciores, in vnam sententiam conueniant et diuersae religionis assessores oppositam rueantur, paritas votorum adesse creditur et sic res ad caesarem defertur. Si Catholicorum vnus euangelicis, aut horum quidam his accedat, maiora adsunt vota. *Vid.* MAVRITIVS de *iudicio Aulico.* §. 8.

§. 4.

In fauorem Euangelicorum adhuc praecipue dispositum: principes et status euangelicos pariterque nobilitatem imperii ab imperio papali et episcopali esse immunes. Cessant itaque episcoporum iura olim illis vi ordinis, legis atque iurisdictionis dioeceseanae competentia, saltem suspensa sunt illa ad vsque compositionem dissidii religionis, vel etiam in perpetuum, si haec obtineri nequit *per I. P. Artic. V. §. 14.* Nec vlllo modo reuiuiscere potest Jus dioeceseanum, si forte aut princeps catholicus succedat principi euangelico, aut euangelicus sacra romana amplectatur. Jura enim haec secundum anni decretorii normam dijudicari debent. *Vid.* PETER MÜLLER *de juris episcopalis in terris Protestantium a Catholicis injuste praetensa Reuiuiscencia.* Corruit igitur ad vsque haec saltem amicabile compositionis tempora Jurisdictio ecclesiastica magistratuum catholicorum cum omnibus suis speciebus contra addictos augustanae confessionis status eorumque subditos. Exercent potius imperantes euangelici omnia, quae olim sub referuatorum papalium vel episcopaliū veniebant titulo, quatenus augustanae confessionis principiis haud disconueniunt. Aeternae Pontificiae religionis ciues euangelici principis, in causis omnino omnibus huic parere tenentur ecclesiasticis. Quando augustanae confessionis status prouinciales Catholicorum iurisdictionem agnouerunt anno quidem normali MDCXXIV. agnoscant eandem quoque in posterum in omnibus iis, quae augustanam confessionem nullatenus concernunt, quaeque non nisi e. g. ad consequendos redditus, decimas et pensiones spectant *vid.* I. P. O. *Art. V. §. 14.*

§. 5.



§. 5.

Generalis, ex qua utriusque religionis exercitium iuraque ei annexa, vel circa bona ecclesiastica competentia, inter Catholicos et augustanae confessioni addictos, definita sunt; norma, sola ex actuali possessione repetita est, in qua alterutrius religionis consortes anno MDCXXIV. fuerunt. Tempus pro hac norma in pace Westphalica constitutum, *Terminus Decretorius* dicitur isque vel *annus* est, vel *dies decretorius*. Est autem *annus decretorius* seu *criticus* item *regulatiuus*, terminus ex quo domini territorialis, extra terras domus austriacae haereditarias, Jus, ecclesiam suae ditionis in aliam, ex approbatis, reformandi, dijudicandum est. Extra terras inquam domus austriacae haereditarias, quod istae provinciae in *I. P. O. Art. V. §. 41.* exemptae sunt. Quantum attinet ad terminum ipsum, notandum, quod inter Evangelico-Lutheranos et Pontificios, neque non inter hos et Reformatos extra Palatinatum, sit *annus MDCXXIV.* in palatinatu vero *annus MDCXXVIII.* per *I. P. O. Art. V. §. 31.* Si actus possessionis est continuus, ad primum Januarii anni decretorii respicitur; si actus possessionis autem est discontinuus, integer annus pro norma est habendus. Omnino itaque ex sanctione pacis Westphalicae dependet, in quibus argumentis alterutrius terminus constituar normam. Notetur tamen, libertatis conscientiae fauore semper ferelaxiorem designatum esse terminum *vid. DITHMAR De anno decretorio exercitii utriusque religionis; HILDEBRAND de anno decretorio et HOEMANN de die decretorio.* Observantia dicti anni vel dici primi Januarii, instar regulae esto, cum in Imperio Romano-Germanico approbararum jura determinanda sunt religionum. Pacta, transactiones, conventiones vel concessionem, quae inter immediatos imperii status, eorumque status provinciales de publico vel privato religionis exercitio introducendo, remittendo et conservando dictum terminum antecesserunt; eatenus ratae ac firmae manent, quatenus observantiae dicti anni non aduersantur *vid. I. P. O. Art. V. §. 25 et 35.*

† Jus primariarum precum Caesaris, saltem respectu capitulorum euangelicorum, ex anno sic dicto normali dijudicandum est. Constitit



sistit autem hoc jus, prout illud jam supra definitum, in facultate imperatoris, durante regimine, nominandi aliquem ad vnicum beneficium in capitulis singulis Imperii R. G. vacaturum, ejusque collationem ordinario collatori praecipendi vid. Sect. 3. §. 3. Imperator hoc jus exercet in capitulis ecclesiarum cathedralium, collegiatorum et conuentualium in Germania per *I. P. O. Art. V. §. 26.* Commune hujus juris fundamentum est antiqua obseruantia, idoneus jura in ecclesia vel circa prouisionem acquirendi titulus. Sine jure hoc jus se dedisse Imperatori gloriatur pontifex vid. GRIBNER in *Diss. de primar. precibus Imp. sine pontif. indultu.* Hoc jure primariarum precum gaudet quoque Augusta in capitulis sexus feminei vid. GRIBNER *c. l.* Vicariis saluum est, primarias preces ibi mittere, ubi vltimus Imperator hoc neglexit vid. GRIBNER de *prec. primar. vicar. imper.* BOEHMER *I. E. P. T. III. §. 106. Diss. Clemens XI. V. Bullar. Tom. VIII. p. 77.* In Ecclesiis euangelicorum immediatis Caesar jus primariarum precum exercet, quatenus in iisdem ante pacem Westphalicam in obseruantiam est deductum per *I. P. O. Art. V. §. 18.* In mediatis vero, quatenus id die 1. Januarii 1624. exercuit seu eo die in ejus possessione, vel quasi fuit per *I. P. O. Art. V. §. 26.* Nunquam tamen superhabere potest statuta, obseruantiam, statumue anni decretorii. Notandum adhuc, Imperii status nonnullos seculares et ecclesiasticos vtriusque religionis per capita suorum territoriorum, nonnunquam hoc jus exercere primariarum precum. Exempla recenset GRIBNER de *precibus primariis principum Imp. vid. A. L. C. SCHMIDT. de collat. canon. inf. §. 26. not. l.*

§. 6.

Terminus normalis circa religionem et restitutionem bonorum ecclesiasticorum MDCXXIV. et primus Januarius dicti anni minime talis est in dijudicandis controuersis inter ipsos Prorestantes, scilicet Lutheranos et Reformatos, sed potius *vi Articul. VII. I. P. O. obseruantia anni MDCXLVIII. vim legis*

B



legis perpetuae tenet, ac instar normae et regulae vniue rsae erit habenda, eandemque hodie sequuntur suprema imperii iudicia, teste b. LVDOLPH *Obs.* 270., qui respectu restitutionis quoad Reformatos decreta extrajudicialia refert. *add. de CRAMER Obseru.* 419. §. 46. FRESENIUS *Abwegung der Gründe, ob man den Reformirten eine Kirche in der Stadt Franckfurt zu bauen erlauben könne.* Aliud tamen dicendum erit, si quaestio exturgit de iuribus, quorum possessio olim ex anno decretorio aduersus alterius religionis confortes adquisita est, vid. STRAVSS *de Possessore catholico non obligato ad bona secularisata pristinis ecclesiae usibus restituenda* §. 49.

§. 7.

Publicum igitur, liberum et illibatum religionis exercitium et augustinæ confessioni addictis, et Catholicis ita relinquendum est, prouti illud anno MDCXXIV. in quacunq; parte habuerunt. Dominus territorii, vi juris reformandi, nihil contra eiusmodi exercitium audere potest *per I. P. O. Art. P.* §. 31. 32. Hinc non potest exercitium religionis, quod quouis in loco a MDCXXIV. fuit, mutare, vel simultaneum religionis exercitium introducere; quippe quod est rerum ecclesiasticarum compossessio, quae in anno decretorio locum non habebat. Religionis enim simultaneum exercitium anni normalis statum prorsus mutat et antiquiorem possessionem semper turbat *vid.* BOEHMER *in Iur. Eccles. Protest. Lib. I. Tit. I.* §. 77. Inde nec vnius ecclesiae templa collapsa in usum alterius nouiter exstrui queunt, nec finito religionis exercitio in aedibus sacris ab vna ecclesia instituto, alteri ecclesiae iisdem religionis exercitium potest concedi *vid.* FLEISCHER *in Diss. de Iure Reformandi* §. 42. Tr. Anonymi *Ungrund des Simultanei Gesprächs.* ESTOR *Tr. de iuribus ac beneficiis augustinæ confessionis eiusque addictorum.* Bona ecclesiastica, quae euangelici anno MDCXXIV. possederunt, nullo iure pontificis dari, in alium statum verti, aut seculo addici possunt *per Instr. Pac. Osnab. Art. V.* §. 14. 15. 25. Status anni decretorii etiam ratione iurisd-



risdictionis ecclesiasticae respiciendus est, ita, vt tam Catholici quam Protestantes in omnibus locis eam exercean, in quibus illam ann. MDCXXIV. notorie exercuerunt. Actus parochiales et omnia praerensa jura stolae Presbyterorum in territorii Augustanae Confessione addictorum, secundum anni normalis exercitium dijudicanda erunt. Non immutari potest rerum ecclesiasticarum status, protestantes inter et Catholicos, licet in melius mutari videatur.

§. 8.

Religio, quae in anno normali in aliqua provincia praeualuit, *dominans* est. A religione tamen dominante semper distinguenda est, *religio domini*. Domino enim cuiuslibet territoriali salua manet conscientia sua, eique licet, confessionis suae concionatores aulicos, citra subditorum onus, secum atque in loco sedis suae habere *per I. P. O. Art. VII.* At fas ei non est, publicum Religionis exercitium, leges et constitutiones hactenus ibi receptas immutare, vel templa, scholas, hospitalia, aut eo pertinentes redditus, stipendia, pensiones prioribus adimere et suorum sacrorum hominibus applicare; vel vi juris territorialis, episcopalis, patronatus, aliove quocunque praetextu subditis ministros alterius confessionis obrudere, ullumve aliud impedimentum aut praepudicium directe vel indirecte alterius sacris inferre, quin potius receptae cuius ecclesiae suae religionis idoneos ministros constituendi jus relinquendum est, et constituti per ecclesiam ministri sine recusatione a domino siue principe confirmandi sunt *per I. P. O. Art. VII.* Quae autem hoc Articulo VII. de religione domini sancita sunt, minime possunt applicari ad vasallum, qui in suo praedio sacellum aedificare nequit, scilicet contra statum anni normalis. Si religio domini diuersa est a religione dominante, tunc ad officia publica nemo admittendus, nemo vocandus est, nisi qui sacris ecclesiae dominantis sit addictus. Interim tamen semper attendenda sunt pacta conuenta cum subditis et imprimis intuitu exercitii iurium collegialium. Alia tamen ratione non competit



tit religionis exercitium, quam quae et quatenus quidem ea in anno decretorio locum habuit eamque in dubium vocatam subditi probare tenentur, nisi constiterit, eos tempore factae pacis in possessione vel quasi exercitii publici religionis fuisse.

§. 9.

Status anni normalis ratione publici religionis exercitii pro norma est, nec princeps potestate pollet, quod illi contrarium sit, quidquam statuendi. Excipiantur tamen ille casus, si in mutationem status anni normalis omnes status prouinciales consenserint. Quemadmodum enim annus regulatiuus, ex consensu Imperii statuum, jus ipsorum reformandi limitat, sic, qui iidem juri reformandi eatenus renunciarunt; ita etiam dicto juri renuntiare limitesque certos hisce juribus ponere possunt, pacta specialiter cum subditis ineundo, siue secundum, siue praeter, siue contra jura Pace Westphalica acquisita statuuntur, adeo ut istiusmodi pacta sint firmissime obligatoria, non tantum quoad ipsos compaciscentes, sed etiam quoad ipsorum haeredes et successores, nec non contra tertios compaciscentes *vid. MOSER in Diff. de pactis et Privilegiis circa Religionem. add de CRAMER in Processu Imperii. §. 858* Quum enim inter Protestantes terminus ille fatalis non obtineat per §. VI. huj. Sect. merito status Protestantes, suae libertati sunt relictii, ut pactis cum subditis initis potissimum standum sit. Diuersa autem est ratio Catholicorum et Protestantium inter se, qui enim vnice ad illum terminum fatalem adstricti sunt secundum *Art. V. §. 33. I. P. O.* Pacta talia cum subditis inita de publico vel priuato religionis exercitio, non aliter rata ac firma sunt, quam quatenus dicto anno non aduersantur.

§. 10.

Idem terminus normalis, qui obtinet circa religionis ejusdam publicum exercitium, valere etiam debet respectu priuati. Quicumque subditi in anno MDCXXIV nec publicum, nec priuatum religionis exercitium habuerunt, nec non, qui post publi-



publicatam pacem deinde futuro tempore diuersam a territorii domino religionem profitebantur, patienter tolerentur et conscientia libera domi deuotioni suae sine inquisitione aut turbatione priuatim vacare; in vicinia vero, vbi, et quoties voluerint publico religionis exercitio interesse, vel liberos suos exreris suae religionis scholis, aut priuatim domi praeceptoribus instruendos committere non prohibeantur, modo nullis turbationibus ansam dent *vid. I. P. O. Art. V. §. 34.* Caeterum, quod de tolerantia adductum est, magis ad consilium, quam iuris necessitatem spectare videtur, cum scilicet in *I. P. O. Art. V. §. 361*, ius emigrationem mandandi, iuri reformandi adscriptum sit. Sunt, quibus haec duo, quod scilicet subditi patienter sint tolerandi et conscientiae suae liberae reliquendi atque quod nihilominus emigratio iis injungi queat *ausara* videntur, quae simul locum habere nequeant. Sed minime haec contradictionem inuoluunt. Non regulariter quidem dissentientes tolerandi sunt eo, quo praescriptum est modo: Si autem principi consultius videatur, eis emigrationem imperare, ne erroribus suis, quos protalibus habet, alios inficiant turbasque in Republica secundum sua principia excitent, omnino quoque hoc ipsi licebit.

§. II.

Domino itaque cuilibet territoriali jus competit, emigrationem iis imperare, qui scilicet in anno normali religionis exercitium non habuerunt. Quodsi ergo subditus, qui nec publicum, nec priuatum suae religionis exercitium in anno normali habuerit; vel etiam, qui post publicatam pacem mutauit religionem sua sponte, emigrare voluerit, aut a territorii domino iussus fuerit, liberum ei sit, aut retentis bonis, aut alienatis discedere; retenta per constitutos ministros administrare et, quoties ratio id postulat, ad res suas respiciendas aut persequendas lites, aut debita exigenda, libere et sine litteris commearum adire per *I. P. O. Art. V. §. 36.* Finis enim emigrationis in libertate conscientiae consistit et ne sub variis praetextibus emigraturi



graturi onerarentur, aut duriori modo a domino expellerentur, certus emigrationis modus praescriptus est in *I. P. O. Art. V. §. 36. 37.* Minime itaque emigraturi destituuntur patria potestate et jure secum ducendi liberos. Desiderantibus denatur ingenuae natiuitatis, manumissionis, noti officii honestaeque vitae testimonia. Emigratio enim poenae loco haud injungenda erit. Eam ob causam ob religionem emigrantes a detractioe sunt immunes *vid. LAUTERBACH in Doctrina Pandectarum Tit. de Migrando.* Si autem gabellam omnes emigrantes quicumque illi sint, praestare debent, etiam religionis causa emigraturi a praestatione ejus quoque immunes non sunt; interim haec gabella in odium emigrantium introduci et augeri nequit. Interim emigratio fieri debet saluo jure tertii cujuscunque, hinc constabit causa, cur emigraturus justam gabellam, et, si proprius fuerit, justum manumissionis pretium soluere debeat, nec queat liberos suos, si minores adhuc sunt, inuitos secum ducere *vid. ENGAV in Elem. Jur. Can. p. 39. §. 77. BECK in Diss. de eo quod justum est circa emigrationem civium religionis causa factam MÜLLER de emigratione religionis causa suscipienda HOFMAN de jure emigrandi FLEISCHER de jure reformandi et inde dependentibus juribus.* An emigrantes transplantari possunt? Quaestionem affirmant *ICKSTADT de Jure Statuum Imperii transplantandi,* et *cel. Beckerus; de Imperante subditum religionis causa emigraturum transplantandi jure gaudente. Rostochiens. 1755.* Sed optime illam et ex argumentis Instrumenti pacis negat *ENGAV in Progr. an civis religionis causa emigraturi transplantari possint.*

§. 12.

Non tamen semper, existente casu in §pho praec. definito, quilibet sic dictus dominus territorialis emigrationem injungere potest. Sed dantur casus, in quibus emigrationem imperare principi vel domino territoriali non licet. Huc pertinet a) si jus territorii controversum sit per *I. P. O. Art. V. §. 43.* b) si territorium a domino directo soluto pretio reluatur per *Art. V. §. 27. I. P. O.* c) si subditi tempus magis laxum et spatiosum impetrauerint, quam in Instrumento pacis statutum *vid.*



vid. Sphus XIII. d) circa Silesiam inhabitantes quoque specialia quaedam per Instrumenta pacis dereterminata sunt *vid. Art. V. §. 39. I. P. O. BOEHMER in Iur. Eccles. Protest. Lib. I. Tit. I. §. 89.* Pluribus hanc quaestionem de jure emigrationem imperandi explicat et a dubiis obmouendis liberat SIMON *de Iure emigrandi cap. II. Th. 2. 3. add. BRAVN de beneficio emigrandi ob religionem.*

§. 13.

Si emigratio a Domino territoriali imperata et hinc necessaria est, terminus sufficiens diuersae religionis praefigendus est: qui quidem non ox quinquennium, mox triennium, quo tempore, qui religionis causa emigraturi sunt, in loco domicilii manere, res suas procurare et sibi futurum domicilium eligere possint, *pae Westphalica Art. V. §. 37.* stabilium est his, verbis: *Conuentum est, ut a territoriorum dominis illis subditis, qui neque publicum, neque priuatum religionis suae exercitium a MDCXXIV. habuerunt et tamen tempore publicatae pacificationis in vnus vel alterius religionis statuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur, quibus illi etiam adnumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas euitandas, non tamen animo transferendi domicilium alio emigrarunt, et facta pace in patriam redire volunt, terminus non minor quinquennio, illis vero, qui post pacem publicatam religionem mutant, non minor triennio, nisi tempus magis laxum et spatiosum impetrare potuerint ad emigrandum praefigatur.* Hoc tempore elapso, si asperrima quaeque patientur a dominis territorii rigidis, habent emigraturi, quod sibi imputent. Intuitu emigrationis voluntariae ejusque termini in pace Westphalica nihil fancitum legimus. Interim tamen utroque in casu, scilicet tam emigrationis necessariae, quam voluntariae, ea locum habent, quae *Spho praec.* sunt adducta, quod nempe emigratio poenae loco haud imponi queat.

§. 14.

Principes Imperii Romano-Germanici statum religionis, qui & qualis fuit in anno normali, nullo modo mutare possunt,
nec



nec legibus suis nouis quidquam eidem derogare per *Sphum V.* Omnia tamen eorum iura maiestatica salua manent, quatenus in praecedium anni normalis haud vertant. Pollet igitur territorii dominus potestate, suae religionis sacris a subditorum religione diuersis exercitium concedere, in quantum per talem introductionem subditi in publico & libero religionis exercitio, quo anni normalis tempore gauisi sunt, haud impedian- tur, *vid. Art. V. §. 30. & 31. I. P. O.* Dominus territorii Catho- licus, subditis Protestantibus vsu sacrorum suorum publicum concedere potest, dummodo hi sacra sine vlllo externo appa- ratu & sine praecedio religionis Catholicae peragant. Non autem idem intuitu Catholicorum dicendum erit, cum per publicum iisdem concessum religionis exercitium, sacra religio- nis Protestantium turbentur, quod tamen dispositioni In- strumenti pacis plane repugnat, Nec obstat *Art. V. §. I. buj. Instrum.* quod, quae vni parti iusta, alteri quoque iusta esse de- beant, vt sic exacta aequalitas inter vtriusque religionis con- fortes obseruetur. Tunc enim aequalitas obseruari potest, vbi vtriusque rationis paritas occurrit. Haec vero in Catholico- rum libero & pleno exercitio, ratione ad Protestantium sacra habita, omnino deficit. Protestantes enim in cultu religionis solenni, se intra templa continent & Catholici per varias pro- cessiones & deductiones Summi Venerabilis per plateas ad ae- grotos & Sanctorum adoratione rem diuinam faciunt. Inde non possunt non Protestantes vario modo turbari, *vid. FLEI- SCHER im geistlichen Recht p. 31. §. 72. 73.* qui rationes pro & contra collegit & tamen contra Catholicos pronuntiat. Inter- im, si princeps exercitium sacrorum Pontificiorum ita re- stringit atque coërcet, ne vllum praecedium Sacris Prote- stantium inde afferatur, subditis statibus prouincialibus nullum jus contradicendi adscribi potest, vtpote qui tali introductione neque directe, neque indirecte laeduntur, aut in exercitio sa- crorum suorum turbantur. Ita, saluo Instrumento pacis, Ele- ctor Brunsvicensis & Luneburgensis sacra & religionis exer- citium publicum pontificiis Hannouerae concedere potuit, li- cet



cet A. MDCXXIV. eo in loco tantum Protestantes rem divinam fecerint, cum haec concessio ita restricta sit, vt nullo modo Protestantibus fraudi esse possit. Paret hoc ex Ordinationibus, quae anno 1713. hac de re conjunctim editae sunt, docentes, publicum religionis exercitium quidem Romano-Catholicis in illa vrbe concessum esse, sed ita tamen restrictum, vt nullo modo jura liberumque religionis exercitium Evangelicorum turbare aut impedire queant.

§. 15.

Omnis tolerantia contra anni normalis statum indulta, mere gratiosa est, nisi speciali pacto in conuentionalem & necessariam transmutata fuerit, per ea, quae in superioribus adducta sunt. Inde constat, ecclesiae in Germania haud probatae omnem tolerantiam a territorii Domino plane denegari posse, interim tamen non prohibitum est, quominus eidem exercitium religionis concedatur, modo ecclesiae in Germania per Instrumenta pacis Religiosae & Westphalicae receptae, exercitium suae religionis publicum haud permittat. *arg. Art. VII. §. 2. I. P. O. v. praeter religiones supra nominatas, nulla alia in Imperio Romano-Germanico recipiatur vel toloretur.* Priuatum tamen exercitium, vel deuotionem domesticam status imperii nostri, vi juris sui circa sacra, religioni in Germania non receptae, tribuendi facultate pollent. vid. HENNIGES *ad Instr. Pac. Osn. Art. VII. §. 2. p. 866.* THOMASIVS *ad Montzamban. de statu Imperii Germanici Cap. 5. §. 12. Lit. V.* TITIVS *in Jure priuato Lib. I. Cap. 14. §. 19.* WILDVOGEL *de Iudaeorum receptione & tolerantia.* STRVV, *de Iudaeis §. 9.*

§. 16.

Omnia, quae iusta sunt inter Pontificios & Euangelicos, quoque iusta censentur inter Lutheranos & Reformatos *per I. P. O. Art. VII. §. 1.*, ita, vt si Dominus territorii ad alterius partis sacra transeat, publicum quidem religionis exercitium sub-
C
dito-



ditorum immutare, fas ipsi non fit, suae tamen religionis exercitium publicum introducere non prohibetur. Sic lutheranus princeps reformatis ciuibus emigrationem injungere & gratiosum religionis exercitium adimere nequit, & sic vice versa princeps reformatus lutheranis ciuibus exercitium religionis semel concessum adimere nequit. *vid. BOEHMER in Iure Eccles. Protest. Tit. I. §. 79. n. 26. BECK de emigratione ciuium religionis causa facta.* Princeps in exercitio juris reformandi sibi competentis attendere debet Instrumenta pacis, pacta, priuilegia & litteras reuersales, licet statui anni decretorii contrariantur, tam inter se & alios Imperii status, quam cum subditis suis, *vid. I. P. O. Art. VII. §. 1.*

§. 17.

Quidquid aduersus vtriusque religionis exercitium iuraque ejus ex pace Religiosa & Westphalica competentia suscipitur, gravamen religionis est per *I. P. O. Art. V. §. 32. Art. VII. §. 3. Recess. Execut. Norimb §. 3. Capitulat. Caesar. Francisci I. Art. I. §. II.* Ad tuenda autem iura vtriusque religionis constituta est Aduocatia & Iurisdictio Caesarea per *I. P. O. Art. V. §. 53.* Haec autem aduocatia plane diuersa est ab aduocatia Sedis romanae & Sedis Pontificiae, nec haec aduersus illam allegari potest. *vid. cit. Capit. Caesar. Art. I. §. 10.* In tuendis hisce iuribus non minus Imperii status iuribus & obligationibus compaciscentium funguntur per *I. P. O. Art. XVII. §. 2. 3. GEBAYER de jure Corporis Evangelicorum valide intercedendi mutationibus status anni Decretorii Sect. 3. & 4. G. L. BOEHMER de gravamine communi statuum S. R. I. §. 34.*

§. 18.

Pacis Religiosae autem vel Westphalicae fractio consistit in turbatione violenta intuitu religionis & supponit vim vel ablatiuam, vel compulsiuam, vel expulsiuam, vel inquietatiuam. Ad fractam itaque pacem religiosam turbatio intuitu reli-



religionis violenta requiritur, ejusque unicum requisitum est. Perinde habetur, siue turbatio in persona, siue honore, vel bonis aliisque juribus pace religiosa & Westphalica acquisitis facta sit. Leui tamen turbatione Pax religiosa non frangitur et in tali casu iudex ordinarius ad damnum reparandum adendus est. Hinc, si jus patronatus sine consensu condomini exercitum fuerit, euident est, violationem pacis religiosae isto in casu cessare. Non autem omnis dissensus circa religionem in provincia receptam, modo fiat modeste, nec Imperio, nec iudici malitiose praepudicet, prohibitus est, nec inde pax religiosa fracta esse censetur.

§. 19.


Fracta autem pace religiosa vel westphalica, non publicum solum, sed etiam priuarum interesse laeditur. Ad prius igitur reparandum, contra pacifragos locum habet actio poenalis, declarationis nimirum in bannum vel poenam pecuniariam 2000 Marcarum auri puri; posterioris vero reparandi causa turbato actiones peritoriae, possessoriae mixtae et rei persecutoriae in promptu sunt, conuenientius actio instituitur mixta, qua ad poenam et interesse agi potest. vid. de CRAMER in *Processu Imperii* §. 842. Bannum autem, testante *celeberrimo Cramer* c. 1. hodie amplius non est in usu. Quoniam autem poena adducta 2000 Marcarum auri puri admodum grauis est, hodie citatio petito conueniente raro solet decerni, saltem ea decreta, declaratio minime in poenam istam, sed minorem veluti XX. Marcarum auri puri fit, sicuti obtinet in citatione ob fractam pacem profanam. Concurrenere in simul possunt fractae pacis profanae requisita, si nimirum vis publica coadunatis hominibus armatis et cum proaeresi illata indeque simul, ex fracta pace publica agi potest. In utroque casu primo dantur mandata sine clausula de non turbando sub poena iam dicta sed restituendo cuncta in pristinum statum et desuper idonee cauendo et cautione sufficiente praestanda. Processus ob pacem religiosam fractam semper coram summis Imperii

C 2
tribu.



tribunalibus instituentis erit, quod hodie praxis et leges volunt *vid. Perillust. CRAMER. c. 2. §. 850.*


Haec sufficient pro scopo nostro, ad nexum et communia iura religionis catholicae et protestantium per Germaniam determinanda, cum nobis tanquam modo sermo sit de primis principiis fundamentalibus iurisprudentiae ecclesiasticae. Ordo in sequentibus nos ducet ad historiam Iuris Canonici, quod nactam auctoritatem quodammodo conseruauit, licet de eo plane abrogando, Reformationis tempore cogitatum fuerit. Manet autem in foro nostro ius quoddam subsidiarium, quod semper loqui praesumitur, in quantum scilicet principiis religionis in Germania nostra approbatae conuenit et legibus vel vniuersalibus Imperii Romano-Germanici; vel etiam particularibus prouinciae haud repugnat, quod in sequentibus speciminibus magis enodabo, per instans semestrem hibernum autem in praelectionibus meis Iuris Ecclesiastici pluribus demonstrabo. Docebo autem *Ius Ecclesiasticum* per instans semestrem, hora Honoratissimis Auditoribus commoda, ad filum compendii *Kabliani*. Insuper *Pandectas Duce III. Hellfeldio in Iurisprudentia forensi secundum ordinem Pandectarum* interpretabor et quidem hora IX — X, et alia adhuc determinanda. *Ius Criminale*, praesente *Ioh. Rudolph. Engauio in Elementis Iuris criminalis Germanico-Carolini tractabo hora XI — XII*. Denique autem *Institutiones Iustinianae* hora III — IV, duce *Heineccio in Elementis Iuris civilis enucleabo*. Initium praelectionum erit crastina luce D. XIII, huius mensis Octobris. Faxit Summus Rerum Arbitr, vt in sui Nominis Sanctissimi Gloriam, Reipublicae Commodum et iuris Cultorum vtilitatem cedant conamina. Dab. D. XII, Octobris A. R. S. clo lo cclxxi.




Rostock, Diss., 1759-76

X 228 42 89







21
1766, 2.

PRINCIPIA
IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE
GERMANICAE FVNDAMENTALIA,
SPECIMEN TERTIVM.

QVO PRAEMISSO

P, 3487

PRAELECTIONES
ACADEMICAS

PER INSTANS SEMESTRE

HIBERNVM

ROSTOCHII INSTITVENDAS

INDICIT

IOHANNES CHRISTIANVS
QVISTORPIVS

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.